

# EPISTULA LEONINA

## CCXI

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM UNDECIMAM (211) !**

## ARGUMENTA

E PLURIBUS UNUM.....	03
DE AVE CIVITATUM AMERICAЕ UNITARUM HERALDICA.....	04-19

## **LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Cara Lector,***

*Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam undecimam (211). Utinam tibi sit occasiuncula has pagellas Latine scriptas perlustrandi. Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!*

**Medullitus Te salutat**

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 16. m.Febr. a.2020**



## E PLURIBUS UNUM

Ecce sigilli Civitatum Americae Unitarum pars obversa. Medio in sigillo a.1776 composito apparet pulcherrima aquila marina albo capite instructa, quae ab ornithologis appellatur *Haliaeetus leucocephalus*. – Verba, q.s. ***E pluribus unum*** sensu originali spectaverunt ad plures civitates Americanas in unam rem publicam coadunandas, hodie solent sensu translato referri ad Americam, quâ homines advenae e gentibus diversis oriundi ita inter se coadunantur ut metalla diversa inter se colliquescant fervefacto catino aerario (*melting pot of nations*). Primo *Pierre Eugène de Simitière* haec verba invénit in folio frontali cuiusdam periodici virorum, c.t. „*The Gentlemen's Magazine*“. Sed eadem videntur esse ex opere Augustini excerpta: **AUGUSTINUS, Confessiones 4,8,13:** .. his atque huius modi signis a corde amantium et redamantium procedentibus per ôs, per linguam, per oculos et mille motûs gratissimos **quasi fomitibus conflare animos et ex pluribus unum facere**. cfr id., **Enarrationes in Psalmis 78,2:** hinc etiam illi post eius resurrectionem quorum die uno tria, et alio quinque milia baptizati sunt, **in animam unam et cor unum caritatis igne conflati**. id., op.mem.95,15: ipse ergo Adam toto orbe terrarum sparsus est. in uno loco fuit, et cecidit, et quodam modo comminutus impleuit orbem terrarum; sed misericordia dei undique conlegit fracturas, et **conflavit igne caritatis, et fecit unum quod fractum erat**. cfr **CICERO, Laelius de amicitia 25,92.** nam cum amicitiae vis sit in eo ut **unus quasi animus fiat ex pluribus ...**, id., **De officiis 1,17,56:** efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut **unus fiat es pluribus**. - cfr G. E. Thüry, Von Köchen, Christen und der Politik. Ein Motto und seine Geschichte, Antike Welt 2010/6, 38-39 et Wolfgang Hübner, E pluribus unum. <https://www.augustinus.de/artikel/113-artikel-beitrag-vortrag/189-e-pluribus-unum-augustinus-und-die-vereinigten-staaten-von-amerika>

# DE AQUILA CIVITATUM AMERICAE UNITARUM SYMBOLICA



## Ordo systematicus

*classis:* Aves  
*ordo:* Accipitriformes  
*familia:* Accipitridae  
*genus:* *Haliaeetus*  
*species:* *leucocephalus*

## Nomen scientificum

*Haliaeetus leucocephalus*  
(Linnaeus, 1766)

<https://de.wikipedia.org/wiki/Weißkopfseeadler>

*Haliaeetus leucocephalus* (ε graeco ἄλς, ἄλός *sal*, *mare*, αἰετός *aquila*, λευκός *albus*, κεφαλή *caput*) est magna avis rapax familiae *Accipitridarum*. Aspectu et modo vivendi haec species valdē similis est *Haliaeeto albicillae*; hac de causâ hae duae species a quibusdam ornithologis inter se ita coniunguntur, ut fiat nova superspecies. *Haliaeetus leucocephalus* cum sit avis Civitatum Americae Unitarum heraldica, in earum inest sigillo.

Ex saeculo undevicesimo numerus harum avium deminutus erat, paucissima paria *Haliaeotorum* leucocephalorum pullos curantia numerata erant annis saeculi vicesimi sexagenariis. In causâ fuerant venatio, usus ipsius DDT veneni insecticidalis, regionumque habitandi mutationes. Primae lèges huius aquilae tutandae iam valuerunt ineunte saeculo vicesimo, quae annis sequentibus etiam etiamque intendebantur. Postquam lège est prohibitum illud DDT, quod effectu biomagnificationis multum valuit ad facultatem *Haliaeotorum* leucocephalorum prolificam diminuendam, frequentia harum avium denuo augescebat. Interim *Haliaeeti leucocephali* inveniuntur in totâ regione habitandi originali eorumque frequentia maior est, quam ut haec species dicatur periclitari.





**Immaturus Haliaeetus leucocephalus volitans**



**Adultus Haliaeetus leucocephalus sedens**

## **Descriptio**

Haliaeeti leucocephali sunt post *Gymnogypa californianum*<sup>1</sup> aves rapaces Americae borealis maximae. Eorum longitudo corporalis minima est septuaginta, maxima nonaginta centimetrorum, apertura alaris<sup>2</sup> minima 1,80 m (unius metri octoginta centimetrorum), maxima

---

<sup>1</sup> N.sg. *Gymnogyps californianus*.

<sup>2</sup> apertūra ālāris theod. *Spannweite*, cfr ital. *apertura alare*


2,50 m (duorum et semissis metrorum), pondus minimum 2,5 kg (duorum et semissis), maximum 6,3 kg (sex – virgula – trium chiliogrammorum). Proportionibus pennarumque coloribus Haliaeeti leucocephali valdē similes sunt Haliaeeto albicillae, sed colores leucocephali inter se multo magis eminent quam albicillae. Caput et collum, cauda caudaeque tegumenta inferiora et superiora sunt albi coloris, corpus et alae sunt coloris obscurē-fusci. Pedes autem et rostrum, ceroma<sup>1</sup>, iris oculorum sunt coloris lucidē-flavi.



Aves huius speciei iuniores volando habiles primo valdē similes sunt Haliaeetis albicillis iuvenilibus, sunt enim fuscae, rostro obscurē-griseo, iride fuscā. Sed optimē leucocephali ab albicillis distinguuntur albis pennis axillaribus et ventre maximam partem immaculato. Leucocephali quinto, interdum sexto demum anno aetatis pubescunt. Valdē raro fit, ut quarto iam anno aetatis adolescent, rarissimē, ut iam anno tertio. Colores oculorum atque pennarum secundum aetatis progressum compluries mutantur: Haliaeeti leucocephali duos annos nati oculis sunt griseo-fuscis vel albidis, ventre atque dorso albimaculatis. Triennes autem aves huius speciei gennis et capite sunt

<sup>1</sup> **cērōma**, -atis n. (theod. *Wachshaut*) est cutis cerae similis, quae invenitur in rostro superiore multarum avium rapacium et aquaticarum.

iam maiorem partem albis, rostro flavo. Iris autem oculorum est nunc coloris lucidê-flavi. Haliaeeti leucocephali si habent iam quattuor annos, maximâ ex parte iam sunt corpore alisque obscurê-fuscis, sed adhuc inveniuntur singulae maculae albae. Cauda et tegumenta caudae superiora et inferiora in plerisque individuis iam sunt coloris albi. Caput autem est album, sed adhuc instructum est oculorum lineâ obscurâ.



## Distributio

Originaliter *Haliaeetus leucocephalus* per totam Americae borealis terram continentem erat distributus. At cum homines hanc avem persecuti sint, in Civitatibus Unitis eiusdem distributio hodie maximam partem redacta est ad litus orientale atque occidentale et Alascam, praeterea eadem incolit latas partes Canadae. *Haliaeetus leucocephalus* plerumque vivit prope fluvios et lacûs et litus marinum. Populatio harum avium maxima est in Alascâ, secunda a maximâ est in Floridâ, cuius septuagenae partes centesimae vivunt ad Flumen Sancti Iohannis. Interdum *Haliaeeti leucocephali* etiam inveniuntur in Arizonâ centrali et in Sinu Mexicano.

Inter hiemis spatium semiannuum in certis regionibus congregantur *Haliaeeti leucocephali*, praecipuê boreales. In Columbiâ Britannicâ

provinciâ Canadae a mense Novembri usque ad Februarium prope urbem *Squamish* in extremâ parte ipsius *Sinûs Howeani* boreali sitam circiter mille vel duo milia talium avium advenire solent. Quae aves propter salmones in regiones suas ova pariendi reversos versantur prope ripas fluminum *Squamish* et *Cheakamus*.

In Europâ iam bis observatus est *Haliaeetus leucocephalus*, qui per errorem huc volaverat. Aquila adulescens eiusdem speciei mense Ianuario anni 1973 contra legem sclopeto necata est in Hiberniae Comitatu *Fermanagh*, et mense Novembri anni 1987 in Hiberniae Comitatu *Kerry* inventus est iuvenilis *Haliaeetus leucocephalus* defatigatus.



**Ecce *Haliaeetus leucocephalus* cadaveri balaenae instans**

## Nutritio

Haliaeetus leucocephalus similiter ac Haliaeetus albicilla magnam partem se nutrit piscibus avibusque aquaticis, rarius praedatur bestias mammales. Secundum viginti disquisitiones, quae factae sunt de moribus Haliaeeti leucocephali nidificantis nutritoriis, nutrimenti 56% (partes quinquagenae senae partes centesimae) sunt pisces, 28% (duodetricenae centesimae) sunt aves, 14% (quaternae denae centesimae) bestiae mammales; 2% (binae centesimae) sunt aliae bestiae praedatoriae. In parte Alascae austroorientali 66% (sexagenae senae centesimae) nutrimentorum Haliaeeti leucocephali constant e piscibus, immo inter nidificationem 78% (duodecogenae centesimae) praedae, quam ad nidum fert, sunt pisces.

Haec aquila saepe devorat cadavera, praesertim tempore hiemali. Similiter ac Haliaeetus albicilla etiam leucocephalus saepe parasitatur apud alias avium species. Eadem maximam partem iisdem methodis venandi utitur ac Haliaeetus albicilla.



**En marem et feminam inter se coeuntess**



**Ecce Haliaeetus leucocephalus prope nidum suum ramo insidens**

### **Prolis propagatio**

Haliaeetus leucocephalus nidificat, similiter ac albicilla in saxorum alveis aut in crassis ramis arborum vetustarum. Alveus autem mollis fit musco atque graminibus. Nidi vetusti pondus habent maximum 450 kg (quadringtonitorum quinquaginta chiliogrammorum).



**En ovum Haliaeeti leucocephali !**



**Ecce pulli Haliaeeti leucocephali nido insidentes**

Leucocephalus ova parit unum aut sumnum tria, quibus incubat per minimum 33, maximum 36 dies. Aquilae adulescentes volare possunt ex aetate decem aut undecim septimanarum.



**Adulescentes Haliaeeti leucocephali paene volandi habiles**

## Spatium vitae et causae mortalitatis

Leucocephali liberê si vivunt, assequi solent aetatem viginti ferê annorum, quoddam individuum inventum est 28 (duodeviginti) annos natum. In captivitate autem si vivunt, solent assequi aetatem maiorem. Quidam Haliaeetus leucocephalus Novi Eboraci vivens aetatem assecutus est quinquaginta ferê annorum.



Aetas media, quam Haliaeti leucocephali in aliquâ populatione assequntur, praecipuê pendet a copiâ nutrimentorum accessibili ideoque a regione, quam inhabitant. Quia homines hodie non iam persequuntur Haliaeetos leucocephalos, portio mortalitatis harum avium est perquam parva. In Alascensi Sinu Principis Vilelmi tales aves supervixerunt probabilitate 88% (duodenonagenarum partium centesimarum) post ipsum illius *Exxon Valdez* navis oleariae infortunium, quo a.1989 factae sunt pollutiones gravissimae. Tamen e copiâ 1428 (mille quadringentorum duodetriginta) individuorum, quorum causa mortis investigata est a Centro Valetudinis Ferarum Nationali, spatio temporis, quod interfuit annis 1963 et 1984, 68 % (duodeseptuagenae centesimae) directê aut indirectê mortuae sunt effectu hominum. 23 % (Vicenae ternae centesimae) avium mortuae sunt collisionibus, quae factae erant cum vehiculis aut filis metallicis, 22 % (vicenae binae centesimae) sclopeto interfectae, 11 % (undenae centesimae) veneno imbutae, 9 % (novenae centesimae) ictu electrico percussae, 5 % (quinae centesimae) decipulis captae. Sed investigatores putant numerum leucocephalorum sclopeto illegitimê interactorum interim deminui propter minas poenarum.



Pullorum nido insidentium primo anno vitae supervivere solent pauciores quam 50 % (quinquagenae centesimae). Ad hanc portionem mortalitatis magnam, quae speciebus avium est typica, conferunt collapsus nidi, fames, aggressivitas, necnon tempestatis condiciones parum prosperae. Alia causa, quâ ova perduntur et pulli moriuntur, sunt praedatores, inter quos sunt species maiores gaviarum, corvorum, cornicum, picarum, gulonum, aliarum avium rapacium, quales sunt ululae, accipitres, aquilae, lynces, ursi arcti, procyones lotores. Leucocephali parentes nidum fortiter defendunt contra praedatores, immo aliquando talibus avibus parentibus contigit, ut ursum arctum ab arbore fugarent, cui infuerunt pulli nido insedentes.

### **Leucocephali quomodo periclitentur et quomodo protegantur**

Cum originaliter fuisset avis Americae borealis frequens, haec species usque ad annum 1950 magnis in partibus huius terrae paene est extirpata. Annis saeculi vicesimi quinquagenariis et sexagenariis praecipue usu ipsius DDT veneni insecticidalis numerus Haliaeotorum leucocephalorum etiam est deminutus. Ut multarum avium rapacium, sic etiam leucocephalorum metabolismus solet substantias nocivas intra corpus accumulare. Istâ accumulatione, quae nuncupatur biomagnificatio, leucocephali adulti non sunt interficti, sed metabolismo calcii afflicto aut facti sunt steriles aut inhabiles ovis

validis pariendis. Itaque leucocephalorum feminae ova pepererunt, quorum testae tenuiores fuerunt quam ut ferrent pondus avis adultae. Ita factum est, ut vix ulli pulli ex ovis excluderentur.

Ornithologi computant saeculo duodevicesimo ineunte populationem Haliaeotorum leucocephalorum complexam esse minimum trecenta milia, maximum quingenta milia individuorum. A.1917 publicê praebitum est praemium leucocephalos venandi. At iam a.1940 in australibus Civitatibus Unitis iterum vetitum est, ne leucocephali sclopeto interficerentur. Alascae autem cives perrexerunt has aves venari usque ad annum 1953. Annis saeculi vicesimi quinquagenariis exeuntibus in illis 48 Civitatibus Unitis, quae spectaverunt ad regionem habitandi originalem, pauciora paria leucocephalorum prolem curantia fuerunt quam quingenta. Causae, quae ad hunc deminutionem contulerunt, etiam fuerunt regiones habitandi amissae necnon interfectio sclopetaria et legitima et illegitima. Iam a.1930 quidam ornithologus Neo-Eboracensis notavit solâ in Civitate foederali Alascae annis duodecim praeteritis sclopeto interfectos esse circiter 70.000 (septuaginta milia) Haliaeotorum leucocephalorum. Multi homines leucocephalos sclopeto necabant falso credentes tales aves praedari etiam agnos necnon infantes secum auferre posse. Reverâ agni nonnisi rarissimê a leucocephalis rapiuntur nec ab ornithologis putatur ullo modo fieri posse, ut haec species avium venetur homines.

### **Rationes Haliaeetos leucocephalos tutandi**

Maturê iam consilium initum est Haliaeetum leucocephalum tutari. In Canadâ Civitatibusque Americae Unitis iam a.1918 eadem species avium protecta est foedere aves migratorias protegendi, quod postea dilatum est ad totam Americae borealis regionem. A.1940 Congressus Civitatum Unitarum assensus est Actui Haliaeeti leucocephali et Aquilae chrysaeti protegendi, quo prohibitum est, ne tales aves lucri causâ captarentur neve interficerentur. Inter annos 1962 et 1972 poenae sunt exauctae, quae imminuerunt huius lègis ruptoribus.



Gradus praecipuus, quo facto numerus leucocephalorum est restitutus, videtur fuisse prohibitio ipsius DDT veneni insecticidalis in Civitatibus Unitis a.1972 decreta. Canadiani in hac re non tantum progressi sunt – in eorum terra usus ipsius veneni ex annis septuagenariis posterioribus vehementer deminutus a.1989 demum totus interdictus est.

### **Numeri leucocephalorum restitutio**

Propter leges ipsiusque DDT prohibitionem ex annis saeculi vicesimi octogenariis numerus Haliaeotorum leucocephaorum restitutus est. Annis octogenariis ineuntibus populatio harum avium aestimata est

complecti 100.000 (centum milia) individuorum, a.1992 minimum 110.000 (centum decem milia), maximum 115.000 (centum quindecim milia). A.1984 Foederatio Ferarum Nationalis causas mortis talis avis rapacis principales declaravit venationem et percusionem electricam. Aliae causae fuerunt pollutio olearia et imbutio plumbi atque hydrargyri.

Populatio Haliaeetorum leucocephalorum maxima, quae complectitur minimum 40.000, maximum 50.000 individua, invenitur in Alascâ Americae civitate. Secundum locum tenet Columbia Britannica Canadae provincia, in quâ anno 1992 vixerunt minimum 20.000, maximum 30.000 individuorum. A.2006 indicatum est paria harum avium prolifica in Civitatibus Unitis praeter Alascam vivere 9789 (novem milia septingenta undenonaginta). Per longum tempus post Alascam Florida habebatur pro eâ civitate Americae foederali, in quâ essent plurima paria leucocephalorum prolem propagatura. At interim Florida in hac re superatur a Minnesotâ, ubi a.2011 numerata sunt 1312 paria leucocephalorum prolifica. Interim plures quam viginti tres civitates Americae foederales habent minimum centena paria prolifica.

Haec species avium a.1973 fuit una e speciebus principalibus, quae spectaverunt ad Actum Specierum Periclitantium. Rationibus tutandi et numero individuorum laetabiliter exaucto haec species d.4 m.Iun. a.2007 e tutelâ secundum Actum Specierum Periclitantium est dimissa. Sed in Civitatibus Unitis etiam nunc non licet possidêre Haliaeetos leucocephalos aut vivos aut mortuos eorumque partes corporales nisi permissione acceptâ. Hoc spectat etiam ad indianos, qui pennis utuntur aquilinis ad res religiosas atque cultuales agendas. *Denverio* in urbe *Civitatis Coloratae* situm est *Repositorium Aquilarum Nationale*, quod decernit de permissionibus dandis et iis, quibus est permissio, offert corpora aquilarum, quae inventae sunt mortuae.

### **Quatenus leucocephalos captos colere liceat**

In Civitatibus Unitis non licet Haliaeetos leucocephalos captos colere nisi permissione speciali. Tales permissiones imprimis dantur hortis zoologicis; plerumque coluntur leucocephali, qui laesionum causâ non iam possunt exponi in regionem feram.



Praeterea permissions dantur etiam singulis gentibus indianorum Americae borealis, apud quas Haliaeeti leucocephali capti multum valent ad caeremonias religiosas. In Civitatibus Unitis vetitum est ne colantur Haliaeeti leucocephali ad artem falconariam colendam, sed in Canadâ licet hoc facere permissione speciali acceptâ.

Haliaeeti leucocephali si optimis condicionibus coluntur, assequuntur aetatem valdê magnam. At tales aquilae si coluntur, rarissimê tantum prolem propagant.

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM**  
**QUAE INSCRIBITUR**  
***Weißkopfseeadler***  
**I.E. AQUILA**  
**AB ORNITHOLOGIS**  
**HALIAEETUS LEUCOCEPHALUS**  
**APPELLATA**  
**A CIVITATIBUS AMERICAE UNITIS**  
**BESTIA HERALDICA**  
**FACTA**  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS.**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAЕ</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM UNDECIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 16. m. Febr. a. 2020**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

